UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

29. De 3. verbo Mulier ecce Ioa[n]. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

vero non ſaluauit, vt nemo, prætendens miſericordiam *Dei*, pœnitentiam ad fi[nem] vitæ differat.

## MEDITATIO XXIX.

### *De tertio verbo in cruce. Ioannis 19.*

1 STABANT *autem iuxta crucem* IE[SV] *mater eius, & ſoror matris eius Ma[ria] Cleopha, & Maria Magdalene.* Conſidera, fugientibus Apoſtolis, mulieres vſque ad crucem Dominum ſecutas, ac impri[mis] matrem eius, tum quod ceteris eſſet feruentior, tum ne quem hactenus ſec[uta] fuerat, in morte deſereret, & ſi quid po[sset] ſolatii præſtaret, vel obſequij, tum quia ipſa parata erat, ſi fieri poſſet, per crucem mori, ſciens ſibi prædictum à ſene Simeone. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Vnde & ipſa præ aliis martyribus nobilius ibi martyrium, nempe in anima paſſa eſt. Secundò. Conſidera Beatam Virginem, Sanctum Ioannem & ceteras mulieres ſtetiſſe iuxta crucē, non ſediſſe, aut exanimes cōcidiſſe, non enim ſatis eſt ad ſalutem, vt ſimus vicini cruci, ſed opus est

Luc. 2.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtare erectos, & pugnare aduerſus tentationes.

*Cum ergo* IESVS *vidiſſet matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ. Mulier, ecce filius tuus.* Conſidera IESVM matrem ſuum vocare mulierem, quia maternæ aures ſine nouo vulnere illud dulciſſimum nomē non tuliſſent: deinde vt doceret religioſos, qui mundo mortui cum CHRISTO per obedientiam crucifixi ſunt, obliuiſci in terra patris & matris. Secundò. Conſidera ſub Ioannis nomine omnes nos filios commendatos Beatæ Virgini, vt hac ratione virginitatē cum Ioanne amaremus, ipſam vt matrem coleremus, & in omnibus tentationibus ad eam confugeremus.

*Deinde dixit diſcipulo. Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Conſidera, matrem ideo Sancto Iohanni ſoli commendatam, quia ceteris fuga dilapſis ille ſolus fidelis amicus vſq; ad mortem permanſerat: veros enim amicos & ſeruos CHRISTI crux diſcernit, id eſt, tētationum & tribulationum tempus. Filij ergo & genuini B. Virg. ſunt, qui ad crucem vſque CHRISTVM ſequuntur. 2. Cōſidera voce, *Ecce*, indicari ſummū beneficiū

eſſe,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe, vt cõmunem homo & Deus habea[t] matrem, ad quam confugias, in qua ſpe[m] colloces, quæ mediatrix ſit inter nos & Deum. 3. Conſidera S. Ioannem, licet pa[u]perem, hanc nouam matrem recepiſſe [in] ſua, non bona, domos, agros, ſed offici[a]. Curam enim eius egit, ne quid deeſſet. T[u] roga Dominum, vt tibi etiam ſit mater, [&] pro te apud filium iugiter intercedat.

## MEDITATIO XXX.

### *De quarto Verbo in cruce. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

1. A *Sexta hora tenebræ factæ ſunt super vniuerſam terram, vſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt Sol.* Conſidera ſolem in Domini tui paſſione obſcurari, vt ſicut moriente patrefamilias tota domus pullis veſtitur in ſignum luctus, ſic luctum de Domini tui paſſione in meditationibus cõcipias. 2. vt diſcas grauitatem peccatorum mortalium tantam eſſe, vt leuius ſit Solem, & ſidera interire, quã vno crimine Dei offendi maieſtatem: ſiquidẽ quolibet peccato mortali Deus eſt occiſus. 3. vt intelligas Dominicę paſſionis fructum